

Deinceps ergo usque ad cap. xi, vers. 7, instruit principes et magistratus, docetque quæ in administratione fugere, quæ sectari debeant. Hic ergo versus et sequens pertinent ad caput proximum, deoque illud hic inchoari posset.

25. TERRIBILIS IN CIVITATE SUA HOMO LINGUOSUS : ET TEMERARIUS IN VERBO SUO ODIBILIS ERIT. — Est antithesis. Sipienti enim eloquio principis, quo civitatem totam componit, opponit linguosum et temerarium in loquendo, qui totam civitatem confundit et perturbat, ideoque procul ab ea ar-

cendus et ablegandus est. Hic enim omnibus est terribilis, qui omnes suis diceriis instar tauri cornupetæ impetit, litesque et rixas concitat, ideoque cunctis est odibilis. Tigurina : *Formidandus est in civitate sua vir linguax, et sermone suo temerarius* (græce *περονετής*, id est præceps, effusus, temerarius, effrenis, petulans, procax, protervus, insolens, contumax) *meretur odium*; Syrus : *Terribilis est in civitate vir contentiosus; et qui accipit in ore suo (contentiones), ediosus est.*

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet rempublicam optime gubernari a principe prudente, qui in omnibus pendet et subijcit se Deo; unde vers. 7 usque ad 23, novem rationibus demonstrat, quam prava et noxia sit superbia. Denique, vers. 23 usque ad finem, docet, verum honorem et gloriam hominis consistere, non in superbis opibus et dignitatibus, sed in timore et obsequio Dei.

Porro novem rationes ad cavendam superbiam sunt hæ. Prima, vers. 7, quia ipsa odibilis est Deo et hominibus. Secunda, vers. 8, quia superbia est causa injustitiæ, rapinæ, contumeliæ et doli, ob quæ Deus transfert bona et regna gentium. Tertia, vers. 9, quia homo, licet potens et rex, ex natura sua est vilissimus. Quid ergo superbit terra et cinis? Quarta, vers. 11 et 12, quia honor omnis, æque ac vita, brevis est et vanus: nam rex hodie est, et cras morietur. Quinta, vers. 13, quia homo post mortem erit esca serpentium et vermium. Sexta, vers. 14, quia superbia est apostasia a Deo. Septima, vers. 15, quia initium omnis peccati est superbia: qui tenuerit illam, implebitur maledictis. Octava, vers. 16 et sequent., quia Deus subvertit thronos, opes, pompas, et memoriam superbiorum; humilium vero elevat et firmat. Nona, vers. 22, quia superbia est creatura, non Dei, sed diaboli.

1. Judex sapiens judicabit populum suum, et principatus sensati stabilis erit. 2. Secundum judicem populi, sic et ministri ejus: et qualis rector est civitatis, tales et inhabitantes in ea. 3. Rex insipiens perdet populum suum; et civitates inhabitabuntur per sensum potentium. 4. In manu Dei potestas terræ: et utilem rectorem suscitabit in tempore super illam. 5. In manu Dei prosperitas hominis, et super faciem scribæ imponet honorem suum. 6. Omnis injuriæ proximi ne memineris, et nihil agas in operibus injuriæ. 7. Odibilis coram Deo est et hominibus superbia: et execrabilis omnis iniquitas gentium. 8. Regnum a gente in gentem transfertur propter injustitias, et injurias, et contumelias, et diversos dolos. 9. Avaro autem nihil est scelestius. Quid superbit terra et cinis? 10. Nihil est iniquius quam amare pecuniam: hic enim et animam suam venalem habet, quoniam in vita sua projecit intima sua. 11. Omnis potentatus brevis vita. Languor prolixior gravat medicum. 12. Brevem languorem præcidit medicus: sic et rex hodie est et cras morietur. 13. Cum enim morietur homo, hæreditabit serpentes, et bestias, et vermes. 14. Initium superbiæ hominis, apostatare a Deo. 15. Quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor ejus: quoniam initium omnis peccati est superbia: qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, et subvertet eum in finem. 16. Propterea exhoravit Dominus conventus malorum, et destruxit eos usque in finem. 17. Sedes ducum superbiorum destruxit Deus, et sedere fecit mites pro eis. 18. Radices gentium super-

barum arefecit Deus, et plantavit humiles ex ipsis gentibus. 19. Terras gentium evertit Dominus, et perdidit eas usque ad fundamentum. 20. Arefecit ex ipsis, et disperdidit eos, et cessare fecit memoriam eorum a terra. 21. Memoriam superbiorum perdidit Deus, et reliquit memoriam humilium sensu. 22. Non est creata hominibus superbia, neque iracundia nationi mulierum. 23. Semen hominum honorabitur hoc, quod timet Deum: semen autem hoc exhorabitur, quod præterit mandata Domini. 24. In medio fratrum rector illorum in honore: et qui timent Dominum, erunt in oculis illius. 25. Gloria divitum, honoratorum, et pauperum, timor Dei est. 26. Noli despiciere hominem justum pauperem, et noli magnificare virum peccatorem divitem. 27. Magnus, et judex, et potens est in honore: et non est major illo, qui timet Deum. 28. Servo ænsato liberi servient: et vir prudens et disciplinatus non murmurabit correptus, et inscius non honorabitur. 29. Noli extollere te in faciendo opere tuo, et noli cunctari in tempore angustiae. 30. Melior est qui operatur, et abundat in omnibus, quam qui gloriatur, et eget pane. 31. Fili, in mansuetudine serva animam tuam, et da illi honorem secundum meritum suum. 32. Peccantem in animam suam quis justificabit? et quis honorificabit exhorantem animam suam? 33. Pauper gloriatur per disciplinam et timorem suum: et est homo qui honorificatur propter substantiam suam. 34. Qui autem gloriatur in paupertate, quanto magis in substantia? et qui gloriatur in substantia, paupertatem vereatur.

PRIMA PARS CAPITIS,

QUA DOCET REGIMEN BONUM REIPUBLICÆ PROFICISCI A PRUDENTIA PRINCIPIS, AGNOSCENTIS SE POTESTATEM OMNEM HABERE A DEO.

JUDEX SAPIENS JUDICABIT POPULUM SUUM, ET PRINCIPATUS SENSATI STABILIS ERIT. — Judex, id est princeps: potissimum enim munus principis est iudicium et judicare, puta, in iudicio et æquitate regere populum; ut exclusa injustitia et iniquitate, servetur debitus justitiæ ordo, indeque pax et quies publica. Quæ omnia breviter complexus est regius, Propheta, prænuntians regnum Salomonis, et in eo regnum Christi, *Psal. LXXI, 1*, dum ita canit: « Deus, iudicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis. Judicare populum tuum in justitia, et pauperes tuos in iudicio. Suscipiant montes pacem populo, et colles justitiam. Judicabit pauperes populi, et salvos faciet filios pauperum, et humiliabit calumniatorem. Orietur in diebus ejus justitia, et abundantia pacis, donec auferatur luna. Hinc principes vocantur iudices; unde inscribitur liber Judicum, id est, principum Israel: tales enim fuere Othoniel, Barac, Gedeon, Samson, Samuel, etc, quorum gesta in libro Judicum describuntur. Pro *judicabit*, græce est *παιδεύσει*, id est docebit, erudiet juxta leges justitiæ et Dei. Rabanus legit, *vindicabit*, scilicet innocentes a nocentium injuriis.

Pro *stabilis*, Complutenses legunt *τεταγμένος*, id est *protensus*; Romana *τεταγμένος*, id est *ordinatus*,

et, ut Tigurina, *compositus erit*. Complutenses ergo sic habent: *Judex sapiens erudiet populum suum, et principatus prudentis protensus erit*, puta, exstendet se ad multas gentes, et ad multos annos, quia, ut Romana, *ordinatus erit*. Ordo enim facit pacem, pax utilitatem, stabilitas longævitatem et amplitudinem, juxta illud *Prov. xxix, 14*: « Rex, qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in æternum fundabitur. » Rursum Lyranus et Jan-senius pro *stabilis*, legunt *terribilis*, *q. d.* Princeps sapiens terrori erit improbis, ut nemo audeat eum invadere, uti fuit Salomon: videtur enim alludere ad illud *Cantic. vi, 9*: « Terribilis ut castrorum acies ordinata. » Verum Biblia Latina et Græca constanter habent, *stabilis*, vel *ordinatus*, non *terribilis*. Sic et Syrus: *Judex sapiens, inquit, docebit populum suum, et princeps sapiens stabiliet civitatem suam.*

Præclare Plinius in *Panegyrico ad Trajanum*: « Nullum, ait, est præstabilius et pulchrius Dei munus erga mortales, quam castus, savotus et Deo simillimus princeps; » et Plutarchus in *Numa*: « Cum reges, inquit, sapientes sunt et sancti, tunc resp. maximum quoddam ac divinum donum a Deo se accepisse existimet. » Ratio a priori est, quod tota recte gubernandi ratio consistat in sa-

piencia. Hac ergo pollens princeps sapiens omnes et omnia sapienter moderatur, componit, dirigit, gubernat. Unde Cassiodorus, lib. X *Var., epist.* 3, agens de sapientia: « Ibi, inquit, prudens invenit unde sapiator fiat; ibi bellator reperit, unde animi virtute roboretur; inde princeps accipit, quemadmodum subditos sub æqualitate disponat. »

S. Thomas, III part. *Quæst.* LIX, art. 4, docet Christo homini appropriari judicariam potestatem, quia hæc requirit tria, quæ plane competunt Christo. « *Primo* enim, inquit, ad eam requiritur potestas coercendi subditos; *secundo*, zelus rectitudinis, ut non ex odio vel livore, sed amore justitiæ judicium proferat; *tertio*, sapientia, secundum quam formatur judicium; unde dicitur *Ecll.* x, 1: Iudex sapiens iudicabit populum suum. Prima autem duo præexiguntur ad judicium; sed proprie tertium est, secundum quod accipitur forma iudicii, quia ipsa ratio iudicii est lex sapientiæ vel veritatis, secundum quam iudicatur. Et quia Filius est sapientia genita, et veritas a Patre procedens, et ipsum perfecte representans, ideo proprie judicaria potestas attribuitur Filio Dei. »

Porro iudicare hic generatim sumitur pro regere et gubernare, quod proprium est munus sapientiæ: illud autem ipsa obit per beneficentiam, qua a subditis mala quælibet arcet, et bona cuncta sapienter et benefice procurat cuique pro gradu, statu et ordine suo; in ordine enim consistit pax et bonum reipublicæ. Qua de causa prudenter Justinianum Imperatorem ita ad beneficam sapientiam, et sapientem beneficentiam exstimulat Agapetus Diaconus in *Admonit.*, num. 60: « Vestimentum invetustabile est beneficentiæ amictus, et incorrupta stola est charitas erga pauperes. Eum igitur oportet, qui pie regnare vult, talium indumentorum pulchritudine animam exornare. Amoris enim in egenos qui indutus est purpuram, cœlestis quoque regni compos efficitur; » et num. 61: « Sceptrum imperii cum a Deo suscepteris, cogitato quibusnam modis placebis ei qui id tibi dedit; quoque omnibus hominibus ab eo sis prælatus, magis omnibus eum honestare festina. Porro id ipse honestamentum arbitratur maximum, si quasi te ipsum, factos a se tuearis; atque ut debiti exsolutionem, benefaciendi munus adimpleas. »

Sapientiam hanc regendi particulatim septem regulis, quas dicitur septiformis Dei Spiritus, complectitur Ferrandus Diaconus Carthaginensis, in *Parænético ad Regnum militiæ ducem* (exstat tomo V *Biblioth. SS. Patrum*): « Si enim, inquit, gratiam confitearis, requiescet super te spiritus timoris Domini. Si vita tua speculum sit, ubi milites videant quid agere debeant, requiescet super te spiritus pietatis. Si non præesse desideres vel appetas, sed prodesse, requiescet super te spiritus scientiæ; ille enim scit præesse, qui vult prodesse. Si diligas rempublicam sicut te ipsum, requiescet

super te spiritus fortitudinis. Si humanis divina præponas, requiescet super te spiritus consilii. Si libenter audias, Noli esse multum justus, requiescet super te spiritus intellectus. Si men ineris te esse Christianum, requiescet super te spiritus sapientiæ, et per septiformis spiritus abundantiam, misericors Deus. »

Quæ deinde singula ordine fuse, eleganter et sapienter prosequitur.

Basilus Imperator, *Exhort. ad Leonem filium*, cap. xx: « Manus meæ, inquit, imposuerunt capiti tuo coronam imperii a Deo delatam tibi. Redde ergo donatori munus eo dignum. Honora Deum, qui te honoravit, per honorem quem patri tuo defers; me autem honorabis, non eodem penitus modo quo subjecti faciunt, nempe, aut genuflectens, aut latus meum stipans, aut mihi bene precans: ista enim principe viro et rege non satis digna sunt; sed potius virtutem omnem exercens, temperantiam colens, mores tuos exornans, litterarum studia capessens, quibus animi juvenum excoli debent, et ut in summa dicam, ita te comparans, ut terreo hoc imperio dignus habeare, et imaginem regis cœlorum in terris referas. Is enim solus merito vocabitur imago Dei, a quo in regni solio collocatus es, qui omnimodam virtutem amplexatur. Isque optimo jure secundo loco post Deum a subjectis amabitur; et tanquam de se, deque suis optime meritis, omni honore dignissimus habebitur. » Hinc fit, ut principatus sensati stabilis sit; quia, scilicet, nititur et fundatur in sapientia, quæ stabilis est, solida et æterna. Unde Egyptii pinxerunt sapientiam insistentem quadrato lapidi, fortunam vero rotundo, ut illius constantiam, hujus inconstantiam et volubilitatem significarent, teste Pierio *Hierogl.* 39. Ita Christi, utpote sapientissimi principis, regnum erit æternum, juxta illud *Luce*, cap. i, 33: « Et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis; » et illud *Daniel.* cap. vii, 14: « Omnes populi, tribus et linguæ servient ipsi: potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur; et regnum ejus, quod non corrumpetur. »

Tropologice, principatus sensati, in quo dominatur animo suisque affectibus, stabilis est, quia hoc principatu reprimit omnes affectus sibi reluctantes; insensatus vero facit opus instabile, quia semper affectibus suis agitatus serviet, neque in libertate filiorum Dei, quam habere cœperat, permanebit. Sensati ergo sunt mystici cœli, qui sine ulla intermissione ordinatis motibus volvuntur, et in loco, in quo a Deo positi sunt, semper ad anteriora tendentes, eundem vitæ tenorem tenent, de quibus Job, cap. xxxvii, 18: « Tu forsitan fabricatus es cœlos, qui solidissimi quasi ære fusi sunt. »

2. SECUNDUM JUDICEM (id est principem) POPULI, SIC ET MINISTRI EJUS; ET QUALIS RECTOR EST CIVITATIS, TALES ET INHABITANTES IN EA. -- Græce, *qualis est ηγεμενος*, id est gubernator, vel princeps civi-

tatis, tales et omnes ejus incolæ: ita Tigurina; Syrus: *Sicut iudex populi, sic ministri ejus; et sicut princeps urbis, sic habitatores ejus, q. d.* Ad principis mores et vitam, quasi ad normam et exemplar, conformant se, primo ministri ejus, deinde cæteri cives et subditi, juxta illud Claudiani:

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Subditque:

Nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quam vita regentis:
Mobile mutatur semper cum principe vulgus.

Versu 1 assignavit duo commoda sapientis iudicis, puta principis. *Primum* est, quod erudiat et iudicet, id est, juste gubernet populum; *secundum*, quod faciat rempublicam æque ac principatum suum stabilem; *tertium* hoc vers. 2 assignat, quod suam sapientiam, justitiam et virtutem in ministros cæterosque subditos influat et transfundat, perinde ac caput suos spiritus, motum et vitam transfundit in membra sibi subjecta; sicut ergo sanitas capitis derivat sanitatem ad membra, et sicut sol toti orbi lucem communicat: ita bonus princeps suam bonitatem in populum diffundit et effundit. Nam, ut ait Quintilianus *Declamat.* 8: « Hæc est conditio principum, ut quidquid faciant, præcipere videantur; » et Cicero lib. III *De Legibus*, legem XII tabularum enarrans, qua cavebatur, « ut magistratus vitio vacarent, atque cæteris specimen essent; » hæc verba adjecit: « Ut enim cupiditatibus principum et vitiis infici solet tota civitas, sic emendari et corrigi continentia; » et paulo post: « Nam licet videre, si velis replicare memoriam temporum, quales summi civitatis viri fuerunt, tales totam civitatem fuisse. Quæcumque mutatio morum in principibus exstiterit, eandem in populo secuturam. » Et apud Laertium Antigonus Macedonum rex, ad Zenonem scribens, cum nulla de doctrina et felicitate promisisset, hoc tandem in calce subiecit: « Cujusmodi fuerit dux, ut plurimum subditos fieri necesse est. » Agesilaus quoque ille magnus et ipse Lacedæmoniorum rex, « interrogatus, quare vehementi hieme sine tunica ea ætate (is enim tum senex erat) circumiret? respondit: Quo juvenes imitentur, habentes ii quidem et senis et principis exemplum. » Auctor Plutarchus in *Apophtegmat. Laconicis*. Sed et Herodianus lib. IV: « Solent inquit, plerumque homines vitam principis æmulari. » Ita si princeps sit bellicosus, subditi spirant bellum, nec nisi arma tractant; si sit pacis amans, omnes pacem colunt, dant se litteris, artibus, agriculturæ, etc. Si sit orthodoxus et zelans pro fide, zelum hunc imitantur vel fingunt subjecti; si sit castus, omnes castitatem profitentur; sic ex adverso, si sit hæreticus, incestus, intemperans, illico multi fiunt hæretici, incesti, intemperantes.

Narrat Q. Curtius in *Vita Alexandri Magni*, et Panormitanus in *Vita Alonsi Aragon. reg.*, aulicos

utriusque torto collo incessisse, eo quod rex uterque obstipus esset, et torto collo incederet. Rationem a priori dat Lactantius lib. IV *Divin. instit.*: « Quoniam, inquit, mores ac vitia regis imitari genus obsequii iudicatur, abjecerunt omnes pietatem, ne exprobrasse scelus regi viderentur, si pie viverent; » et Plinius in *Panegy.* *Frajani*: « Vita, inquit, principis, censura est, eaque perpetua; ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur, nec tam imperio nobis opus est, quam exemplo; » et S. Hieronymus ad *Heliodor.*: « Comus, inquit, Episcopi et conversatio in speculo posita, magistra est publicæ disciplinæ: quidquid feceris, id sibi omnes faciendum putant. » Quocirca tam sedulo S. Paulus monet Titum cap. II, et Timotheum *epist.* I, cap. IV, dicens: « In omnibus præbe te ipsum exemplum honorum operum, » id est, inquit S. Chrysostomus, « exemplar vitæ atque morum; ipse esto tanquam imago propositus, tanquam animata lex, velut regula ac norma bene recteque vivendi. »

3. REX INSIPIENS PERDET POPULUM SUUM, ET CIVITATES HABITABUNTUR PER SENSUM POTENTIUM. — Aliqui legunt *ουσιων*, id est *prudentium*, intelligentium; verum legendum *δυνατων*, id est *potentium*, principum, dynastarum; Tigurina, *Rex imperitus perdet populum suum, at prudentia procerum urbis incolis frequentabitur*; Syrus, *Rex iniquus perdet populum suum, et habitabitur civitas in sapientia dominorum ejus, q. d.* Rex imprudens, indeque iniquus, partim pravo suo exemplo, partim pravo suo regimine et ignavia perdit « populum, » id est, populi opes, pacem, concordiam, robur, et sæpe vitam ac conscientiam, ideoque perdit, id est, exhaurit populi frequentiam, tum quia facit, ut multi fame, bello, rixis, seditionibus occidantur; tum quia causa est, ut cives e civitate fugiant, et alio, ubi imperat princeps sapiens, ideoque spes est pacis, opum et cæterorum honorum, commigrent. Ita populum perdidit Saul, Roboam, Jeroboam cæterique reges Israel impij et idololatræ. Unde per antithesin subdit: « Et civitates habitabuntur, » id est, frequentabuntur, « per sensum potentium. » Sensus enim et prudentia principum facit, ut cives et civitas opibus, pace, numero, mercibus, rerumque omnium copia floreat, juxta illud *Proverb.* xxix, 4: « Rex justus erigit terram, vir avarus destruit eam. » « Principes ergo crebro legant, relegant et ruminent illam Sapientis cap. vi, 2, ad se concionem: « Audite, reges, et intelligite; discite, iudices finium terræ. Præbete aures vos, qui confinetis multitudines, et placetis vobis in turbis latitum; quoniam data est a Domino potestas vobis, et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur; quoniam, cum essetis ministri regni illius, non recte judicastis, nec custodistis legem justitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrende et cito apparebit vobis; quoniam iudicium durissimum his, qui

praesunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia; potentes autem potenter tormenta patientur. »

Idem a Salomone et Hebraeis didicit et censuit Plato, qui lib. III *De Legibus*: « Optimarum, inquit, reipublicae fornarum optima est monarchia, quae bonis legibus sancita est, et utitur; proxime enim ad patriam potestatem accedit. Regum tyrannis et injustum imperium popularem libertatem induxit, quod huiusmodi regum mores populus amplius pati non posset. Omnis respublica et illius forma a seipsa, propter subortas in eandem corruptelas, deletur et evertitur; » et rursus: « Ignorantia, vel improbitas imperantium est politicae pestis, et perniciēs summa. Infinita potestas etiam in regibus ipsis quae sese legum vinculis coerceri non patitur, est certissima regni et reipublicae ruina, ac proxime occasuræ prognosticon. Contra quod remedium est, ut leges observentur etiam ab ipso principe, idque facere cogatur ab ordinibus regni vel invitus. » Aristoteles quoque lib. V *Politicae*, cap. VIII: « Rempublicam, inquit, conservant, primo, bonarum legum inviolabilis auctoritas; secundo, magistratum in munere obeundo prudentia, diligentia et alacritas; tertio, populi erga magistratum obsequium; quarto, civium inter se concordia et consensus; quinto, magistratus erga populum paternus animus et cura. » Hisce artibus Romulus aedificavit Romam, Constantinus Constantinopolim, Antiochus Antiochiam, Alexander Alexandriam, Jerosolymam David, Salomon et Nehemias, ac prae omnibus Christus Ecclesiam toto orbe propagavit. Hoc est quod ait Sapiens cap. VI, 26: « Multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum, et rex sapiens populi stabilimentum est. » Alludit ad etymon hebraeum et graecum; hebraice enim princeps et dominus vocatur *Adon*, vel *Adonai*, ab אדן *eden*, id est fulcrum, basis; ac graece rex vocatur βασιλεύς, quasi βῆσις λαοῦ, id est, basis populi. Sicut enim ad regem suum turmatim convolant apes, sic ad regem sapientem populi; apes enim, et praesertim rex apum, sapientiae est symbolum. Denique quam rex insipiens perdat se et populum, festive docet apologus Aesopi (qui Sira-cidem ducentis annis antecessit) de vulpe et simio: « Quondam, inquit, in concilio irrationalium animalium saltavit simius, et approbatus, rex ab ipsis electus est. Vulpes autem ei invidens, ut in cassi (reti) quodam carnem vidit, simium secum illuc duxit, dicens se invenisse thesaurum; se tamen eo uti nolle, sed eum regi cedere; quare eum hortata est, ut illum acciperet. At ille inconsiderate profectus, et captus a casse, quod decepisset, accusabat vulpem. Illa autem ei: O simie, inquit, talem tu habens dementiam, brutis dominaberis? »

4. IN MANU DEI POTESTAS TERRÆ, ET EXSECRABILIS OMNIS INIQUITAS GENTIUM, ET UTILEM RECTOREM SUSCITABIT IN TEMPUS SUPER ILLAM. — Ita legunt Rabanus, Lyranus et alii, quin et Marcellus Pontifex

epist. 4. Verum Graeci codices, aequae ac Latini Romae correcti, delent et *exsecrabilis omnis iniquitas gentium*; sed illud idem legunt vers. 7. Graecus de more brevis et bimebris est, *potestas terrae in manu Domini, qui in tempus*, id est, ut Vatablus, *opportune, in ea suscitavit hominem utilem*; alii, *qui suo tempore quod expedit, excitat super eam*. « Magistratus enim virum ostendit, » ut ait Bias. Syrus, *in manibus Domini dominorum universum, eum, qui aptus est, in tempore constituet super illud* (universum). Dicit hoc, ut reges et principes sciant se regnum et principatum primario non a se, vel suis progenitoribus, aut a populo et republica, sed a Deo habere, ac proinde ab illo pendere, illique subditos esse, ideoque se suaque scepra et coronas (uti faciunt sancti illi principes *Apocal. IV*, vers. 10) ante Dei pedes ponant, eique offerant, ac ea non nisi ex Dei voluntate et lege regant et administrent. Idem per umbram vidit Homerus; nam hymno in Musas et Apollinem: « Ex Musis, inquit, et procul mittente Apolline viri poetae sunt in terra, et citharædi; ex Jove autem reges; » et Tertullianus in *Apologet.*: « Inde, ait, est Imperator, unde et homo, antequam Imperator; inde potestas illi, unde et spiritus, » juxta illud Danielis cap. V, 23, ad Baltasarem: « Deum, qui habet flatum tuum in manu sua, et omnes vias tuas, non glorificasti; » et illud Sapiens, cap. VI, 4: « Data est a Domino potestas vobis, et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur; quoniam, cum essetis ministri regni illius, non recte iudicastis, nec custodistis legem iustitiae, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. »

Agnoscent hoc reges Christiani, dum se Dei gratia regnum obtinere in suis edictis profitentur, ut: *Philippus, Dei gratia, Hispaniae rex*, etc. Sicut enim a Deo omni-sciente, quasi fonte derivatur omnis scientia, ita ex eodem omnipotente derivatur omnis potestas; ipse ergo quasi summus mundi rector reges et principes, in hoc regimine, quasi suos vicarios sibi substituit et arrogavit, eisque potestatem dedit regendi, puniendi malos, praemiandi bonos, leges condendi; haec enim a prima et aeterna lege, quae est in mente Dei, quasi radii a sole, rivuli a fonte, derivantur, ac proinde « exsecrabilis est Deo omnis iniquitas gentium, » praesertim illa communis et capitalis, ac fons caeterarum, scilicet idololatria, qua se suasque respublicas, regna et principatus, non Deo vero, sed vel sibi, vel suis idolis accepta referunt; sed et haec est in manu Dei, et eam suo tempore, vel puniat et comprimant, vel tollat, et in bonum convertat. Ita Lyranus. Quocirca ipsius, tanquam summi terrae domini, clementiae est suscitare in ea utilem principem, cum ita ei placuerit; sicut ipsius irae est suscitare in ea inutilem, cum talem peccata subditorum merentur, juxta illud *Job. XXXIV*, vers. 30: « Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. »

Imprimis vero ipse, tempore opportuno a se praecognito et praefinito, utilem rectorem suscitabit super terram, Christum Dominum, qui abolita gentium idololatria, eas ad se convertet, ait Rabanus, Lyranus et alii; ac per eum suscitabit Christianos principes, qui sub Deo juste, fideliter et religiose populum gubernent. Quare populi et respublica continue a Deo flagitent ut sibi tales det reges et principes, aut jam datos tales efficiat. Unde Palactus: Christus, inquit, fuit utilis rector, quia se dedit in socium, cibum, pretium et praemium.

Secundo, Rabanus, et ex eo Glossa interlinearis: « Exsecrabilis, » inquit, id est damnabilis, est omnis iniquitas gentium, quia disperdet Deus de civitate sua omnes qui operantur iniquitatem.

Tertio, Jansenius hunc dat sensum, *q. d.* « Omnis iniquitas gentium, quae exsecrabilis est, » id est, omnes gentes iniquae et exsecrabiles, quia idololatrae, sunt in manu Dei, aequae ac reges ac principes, *q. d.* Deus dominatur universae terrae, omnibusque regnis, tam infidelium, quam fidelium, etsi infideles ipsum non agnoscant, ideoque corda infidelium habet in sua manu, ut ea ad se convertat, et fide sua imbuat, uti fecit per Christum.

Rursus perperam aliqui, teste Rabano, pro *exsecrabilis*, legunt, *exclamabilis* est omnis iniquitas gentium; quod tamen sic explicat Rabanus, *q. d.* « Per praedicationem Apostolorum reprobatam est infidelitas et error Gentilium, quos Salvator ad hoc misit in mundum, ut contumaces redarguerent, inscios docerent, et infirmos sanarent. »

Porro τὸ ἰν tempus, Graece εἰς καιρὸν, id est, opportuno tempore, ut vertit Tigurina, Syrus et alii. Aliter Jansenius: « In tempus, » inquit, constituet, quia nulli unquam terrae datum est, ut in perpetuum haberet utilem rectorem; sed tantum ad tempus, ut est hic omnium rerum vicissitudo, quasi alludat ad quatuor monarchias sibi ex ordine succedentes, puta Assyriorum, Persarum, Graecorum et Romanorum, quas per symbola quatuor bestiarum describit Daniel cap. VII.

Vere S. Cyprianus, orat. *de Idolorum vanitate*: Regna, ait, non merito accidunt, sed sorte variantur; et acceptum tempus certo fine custodiunt. » Et Philo, lib. *De Divina immutabilitate*: « Totus orbis, inquit, habitabilis, more navis susque deque jactatae alternis fluctibus, nunc secundis ventis, nunc adversis utitur. Nam Verbum divinum choreas in orbem ducit, quod vulgus hominum fortunam nominat. Et cum perpetuo feratur per civitates, gentes regionesque, res aliorum aliis, omnium omnibus tribuit, subinde variantibus apud singulos temporibus, ut totus terrarum orbis tanquam una civitas, optimo reipublicae genere administretur populari regimine. »

Quocirca sapienter Justinianum Imperatorem in *Admonit.* (quod a Graecis vocatur *Scheda regia*;

exstat tomo II *Biblioth. SS. Patrum*), num. 1, ait Agapetus Diaconus: « Honore, inquit, libet sublimiorem cum habeas dignitatem, o perator, honora supra omnes, qui hoc te dignus est Deum; quoniam juxta similitudinem caelestis regni tradidit tibi sceptrum terranae potestatis, ut homines edoceres justis custodiam, et eorum, qui adversus ipsum rabiunt, insectareris latratum, tum ipsius obtemperando legibus, tum subditos tibi regendo pro jure. » Et num. 5: « Scito, o pietatis divinitus fabricatum specimen, quia quanto majoribus dignus habitus es, tribuente Deo, muneribus, tanto majori vicissim debito ei obstringeris. Ergo redde benefactori debitum gratitudinis, acceptanti debitum ut meritum, et beneficio beneficium rependenti; ipse enim semper et beneficiis prior promeretur, et ut debitum beneficia repensat. Gratitudinem autem exigit a nobis, non quae verborum blandorum prolatione, sed quae rerum piarum oblatione peragitur. » Et num. 7: « Terrenarum opum instabiles divitiae, fluvialium undarum imitantur cursum. Modicum enim affluunt his qui habere se eas arbitrantur; mox vero refluentes ad alios accedunt. Solus autem beneficentiae thesaurus, stabilis est possidentibus eum; bonarum enim actionum meritum ad auctores retorquetur. » Et num. 9: « Sollicitam Imperatoris animam speculi in modum abstergi oportet, ut divinis splendoribus semper coruscet, rerumque distincta judicia inde discat; nihil enim adeo facit, quae peragenda sunt conspiciere, atque custodire eam perpetuo sinceram. »

S. Ludovicus inter aurea monita, quae Philippo filio testamento reliquit, hoc primum assignat: « Fili mi, ante omnia in eam curam diligenter incumbe, ut diligas Deum. Nemo enim potest salvus esse, nisi Deum amet. Cave ne unquam admittas peccatum mortiferum; sed omnia potius ferre velis tormentorum genera, quam aliquam talem perpetrare culpam. Crebro agas gratias Deo pro bonis omnibus tibi ab illo collatis, ut dignus fias potioribus ejus beneficiis affici et augeri. Non patiaris quemquam, te audiente, perverse de Deo aut Sanctis ejus loqui; nec id sinas impune abire. »

Basilii Imperator, *Exhortat. ad Leonem filium*, cap. X: « Numinis, ait, beneficio regnum accepisti; sollicite custodias illud quasi depositum fidei tuae commissum, ut incolume conserves. Cave autem ne, illius malus custos, degeneris aliquid atque indigni committas; sed, sicuti caeteris praelatus es, ut omnibus imperares: ita contende, ut virtute quoque caeteris antecellas; virtus enim omni principatu omnique auctoritate praestantior est. Si ergo dignitate quidem reliquis praestas omnibus, virtute autem ab alio praecelleris, Imperator es in eo quod minoris excellentiae est; in eo vero quod praeclearius est, Imperator non es, imo alterius imperio subes. Ne sis ergo

suppositivus atque adulterinus dominus, alius præstantior reperitur; sed verus Im-
tor, cum cæteris omnibus virtute antecedit. »
IN MANU DEI POTESTAS HOMINIS, ET SUPER PA-
SCRIBÆ IMONET HONOREM SUUM. — Græce *δύναμις*,
est, *gloriam suam*. Nota *δύναμις*; sic enim le-
gunt passim Biblia Latina, Rabanus, Lyranus,
Jansenius et alii passim; quasi Interpres legerit
hic æque ac vers. præced. *ἐξουσία*, id est potestas,
auctoritas, imperium, *q. d.* Sicut in manu Dei est
potestas terræ, ut illi eum det principem, quem
voluerit, ut dixi vers. præced., sic et in manu Dei
est potestas hominis, ut, scilicet, hunc hominem
creet principem potius quam alium, eumque a
principatu deponat, cum ei libuerit; ita ut om-
nium regum, principum et magistratum potes-
tas sit in manu Dei, tam quoad inchoationem,
quam quoad progressum et consummationem ac
finem: Deus enim est qui « super faciem, » id est,
super personam (ex facie enim persona una ab
alia discernitur et agnoscitur: unde et *facies*, hebr.
פָּנִים *aph*, græce *πρόσωπον*, subinde sumitur pro
persona, uti alibi ostendi), « scribæ, id est, viri
litterati et sapientis, » imponit honorem suum, »
quando ei dat auctoritatem, non tantum doc-
cendi, sed et regendi, legesque condendi; cum,
scilicet, eum ob sapientiam evehit, facitque prin-
cipem vel consiliarium, præsidem vel governa-
torem. Huic sensui favet Syrus, dum vertit: *In
manu Domini dominium, et timentibus se dabit glo-
riam suam*. Verum pro *potestas*, corrigendum et
legendum est, *prosperitas*; sic enim corrigunt Bi-
blia Romana et Græca, quæ hic pro *ἐξουσία*, quod
præcessit, legunt, *εὐδαιμονία*, id est, *prosperitas*, fe-
licitas, *q. d.* In manu Dei est prosperare homi-
nem, ac facere ut omnes ejus actiones et mol-
mina prosperos habeant eventus, laudem, hono-
rem et gloriam; præsertim vero Deus est, qui
regi et principi dat prosperitatem, ut scilicet,
prosperè succedat ejus regimen, utque utiliter et
feliciter regat. Unde Tigurina vertit: *Successus ho-
minis est in manu Domini, idemque personæ scribæ,
vel litterati, gloriam suam attribuit*; Vatablus, *il-
lustrem facit*; Cajetanus, *spectabilem*.

Hac de causa Agapetus Diaconus pie monet Jus-
nianum Imperatorem, ut a Deo supplex postulet
ebro auxilium ad sapienter et feliciter regen-
m; sic enim ait in *Admon.*, num. 62: « Recurrere
ad supernum auxilium cum homo quivis debet,
salutem qui exspectat, tum ante omnes Imperator,
utpote qui pro omnibus sollicitus est; cum enim
a Deo custodiatur, tam hostes generosa manu de-
bellat, quam suos sedulo communit. » Et num. 63:
« Deus nulla re indiget, Imperator solo Deo. Imi-
tare igitur nullius indigum, petentibusque fac
uberem misericordie copiam, non exacta et ad
vivum resercente rem, ratione impensarum tuarum
erga famulatum utens; sed omnino de sustinenda
vita petitionibus satisfaciens. Longe enim satius
est merito dignorum etiam indignis misereri,

quam indignorum vitio dignos iis defraudare. » Et
num. 33: « Existima tunc demum te tuto regnare,
cum volentibus imperas hominibus; quod enim
invito animo subjicitur, seditionibus fluctuat capta
occasione; quod vero vinculis benevolentie regi-
tur, stabilem servat erga rectorem obedientiam. »

Basilii Imperator, *Exhortat. ad Leonem filium*,
cap. xi: « Concedet tibi Deus, inquit, victorias et
triumphos adversus hostes, cum ipse adversus
perturbatos animi motus trophæa et titulos exerce-
ris; qui enim invisibiles hostes devicit, eum visi-
biles etiam posse vincere necessario consequens
est. Sed, quem voluptates superare, ut vile man-
cipium, et transversum ad se rapere valent, nun-
quam Deo lubebit eum victoriae honore condecor-
rare; qui vero victoriam de libidinibus et aliis
animi perturbationibus partam voluntariis labo-
ribus coronaverit, is in certum argumentum fu-
turæ postea retributionis æternorum honorum,
etiam in hac vita de inimicis victoriam, a Deo
quasi debitore concessam, jure suo referet. »

Nota primo: *Scriba*, hebr. *סופר* *sopher*, græce
γραμματικός, apud Judæos vocabatur litteratus, sa-
piens, doctor. Prisci enim Hebræi, quos nunc
sapientes aut magistros dicimus, vocabantur *sophe-
rim*, id est scribas, a *sopher*, id est liber, litteræ,
græce *γραμματικός*, quod *γράμμα*, id est litteras et
libros, tractarent, uti dixi I *Corinth.* i, 20. Sic Es-
ders, cap. vii, 6, vocatur « scriba velox in lege
Domini, » id est, legis peritissimus et promptissi-
mus in ea; scribarum enim erat Sacras Litteras
incorruptas servare, correctæ earum descriptioni
invigilare, illam interpretari, tum voce, tum
scripto, teste Epiphano *Hæresi* 15. Adde quod Es-
dras sacros libros restauravit, non quasi ii in-
terciderint; sed errores, qui irreperant, corri-
gendo, et aliis characteribus, quos ipse invenit,
quibusque deinceps semper usi sunt Hebræi, eos
describendo. De hisce doctoribus locum hunc
accipe, *q. d.* Deus est, qui scribæ, id est doctori,
suam sapientiam indit et communit, per quam
a discipulis et populo quasi sapiens, et virtute
docendi pollens honoretur; dum efficit ut ea cla-
ritate et efficacia doceat, qua populo doctrinam
suam persuadeat, ac populus ex ea in Dei et vir-
tutis cognitione, amore et operatione proficiat;
hoc enim est vera philosophia et sapientia præ-
ctica; quod, dum fit, ingens scribæ, id est doctori,
accedit meritum, æque ac honor et gloria.

Porro notandum quod dicit, Deum suum hono-
rem præ aliis imponere scribæ, quia propria dos,
honor et gloria Dei consistit in sapientia practica;
hæc enim prudentiam omnem, virtutem et sanc-
tatem includit, uti superius dixi. Rursum, quia
sæpe Deus sapientes evehit ad principatum, facit-
que ut ipsi sint principes, vel certe consilarii prin-
cipum, legistores, et gubernatores regnorum et
rerumpublicarum, juxta illud Platonis. l. 5. *V De
Repub.*: « Felices erunt respublicæ cum phi-
losophi eas gubernabunt, aut gubernatores ea-

rum philosophabuntur. » Honor enim et gloria
Dei consistit in dominio, principatu, legislatione,
regimine et imperio Universi. Hinc scriba erat
nomen dignitatis: scribæ enim vocabantur tunc,
qui nunc Cancellarii, qui erant proximi a rege,
quorum erat nomine regis decreta concipere,
scribere, promulgare, reservare. Sic Saraias fuit
scriba, id est, cancellarius Davidis, II *Reg.* viii;
Sobna, Ezechiae, IV *Reg.* xviii.

Ita Deus Christo Domino, puta, Verbo incar-
nato, qui est scribarum et doctorum princeps,
suam dedit honorem, cum suam divinitatem,
auctoritatem et imperium cum sapientia ei com-
municavit. Unde Palacius hunc locum proprie de
Christo accipit, qui est legis novæ doctor, et
scriba doctus in regno cælorum, ac de thesauro
sapientiæ suæ proferens nova et vetera, *Matth.*
xiii, 32, ut sensus sit, *q. d.* In manu Dei est felici-
tatem et honoratum hominem facere. Talem in
primis, et in speculum cæterorum fecit Christum,
dans ei honorem suum: unde in facie Christi hon-
or Dei positus fuit, cum in transfiguratione re-
splenduit facies ejus sicut sol, utpote quæ erat facies
Dei. Ad hunc doctorum honorem et gloriam
facit illud *Daniel.* xii, 3: « Qui docti fuerint, fulge-
bunt quasi splendor firmamenti; et qui ad justitiam
erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas
æternitates. »

Moraliter, nota hic prosperitatem esse peculiare
Dei donum, ideoque ab eo postulandum. Vete-
res putabant Fortunam esse deam, quæ daret
prosperitatem; unde eam studiose colebant, ut
dixi *Isaiæ* lxy, vers. 11. Verum Christiani sciunt
hoc esse idolum et figmentum; norunt enim non
alium quam Deum esse Fortunam fortunantem,
qui, scilicet, omnia suorum fortunet et prosperet,
a quo omnis nostra fortuna fiat fortunata. Unde,
licet respectu causarum secundarum, quæ con-
tingentes ad eundem effectum producendum
concurrunt, ac respectu nostri, quibus hic cau-
sarum concursus videtur esse contingens et fortui-
tus, dentur effectus fortuiti, sitque revera casus
et fortuna; tamen respectu Dei nihil est fortui-
tum, nulla sors, nullus casus, quia omnia a Deo
præcognita, prævisa, provisa et ordinata sunt,
« ut in regno providentiæ nihil liceat temeritati, »
ait Boetius. Unde S. Augustinus: « Nihil, ait, in hoc
inferiori mundo geritur quod a summi illius
Imperatoris aula non jubeatur aut permittatur. »
Ita Jacob prosperitatem nactus a Deo, eandem
secum intulit in domum Laban soceri sui, qui
proinde eum retinere cupiens et deprecans, ait:
« Inveniam gratiam in conspectu tuo; experi-
mento didici, quia benedixerit mihi Deus propter
te, » *Genes.* xxx, 27. Vide ibi dicta. Sic videmus
hodie homines alios esse felices, quibus omnia
ex voto succedunt; alios infelices, quibus omnia
contra votum eveniunt.

Quæritur, quæ sit hujus disparitatis causa. Res-
pondet hic Siracides esse Deum, qui felices pros-

perat, infelices non prosperat. Prosperitas enim
est donum in manu Dei, quod ipse confert, qui-
bus vult; negat, quibus vult: quare ipse, quos
vult, facit felices; quos vult, infelices. Inuit au-
tem hic Siracides scribas, quasi doctores, præ
cæteris esse prosperos et felices; sapientia enim
est felicitas prima et maxima. Hinc sapientes et
sancti quotidie, dum domo exeunt vel aliquid
ordiuntur, orant ut Deus omnia eorum cogitata,
dicta et facta dirigat. Ita David: « Dirige, ait, me
in semitam rectam propter inimicos meos, » *Psal.*
xxvi, vers. 11; et: « Sit splendor Domini Dei nos-
tri super nos, et opera manuum nostrarum di-
rige super nos, et opus manuum tuarum dirige, »
Psal. lxxxix, vers. 17. Tobias moriens ita
filio præcepit cap. iv, 20: « Omni tempore be-
nedic Deum, et pete ab eo ut vias tuas dirigat,
et omnia consilia tua in ipso permaneant. » Salo-
mon *Proverb.* iii, 6: « In omnibus viis tuis, inquit,
cogita illum, et ipse diriget gressus tuos; » et
cap. xvi, 9: « Cor hominis disponit viam suam;
sed Domini est dirigere gressus. » Unde S. Pau-
lus II *ad Thessal.* iii, 5, orat, dicens: « Dominus
autem dirigat corda vestra in charitate Dei, et pa-
tientia Christi. » Maxime autem Deus prosperat
principes regesque sapientes et probos, quia ab his
pendet respublica: unde eos præ omnibus curæ et
cordi habet. Sic Trajanus cælesti voce a terræ
motu omnia evertente servatus est, uti narrat
Dio lib. llii. Vespasianus in bello Judaico densis-
sima Judæorum tela evasit, uti refert Josephus
lib. V *Belli*, cap. vii. Julius Cæsar navarcho in tem-
pestate trepidanti: « Quid times? inquit, Cæsa-
rem Cæsarisque fortunam vehis, » teste Plutarcho
in *Sertorio*. Idem dixit Carolus V Imperator in simili
procella Tunetum obsidens; qui et maximis pe-
riculis in assiduus præliis, quibus ipse interfuit,
a Deo ereptus est.

6. OMNIS INJURIE PROXIMI NE MEMINERIS, ET NIHIL
AGAS IN OPERIBUS (id est, per opera) INJURIE. —
Græce: *Ἐν παντὶ ἀδικήματα μὴ μνησθῆς τῷ πλησίον, καὶ
μὴ πρόσσε μὴδὲν ἐν ἐργοῖς θέρσῃς*, id est, *in omni iniqui-
tate ne irascaris proximo, et nihil agas in operibus
contumeliæ*. Noster pro *μνησθῆς*, legit *μνησθήσῃς*, id est
memineris; Tigurina: *Ne succenseas proximo ob
quamvis injuriam, nec quidquam per injuriam egeris*;
alii: *Ne ob ullam iniquitatem cum proximo simulta-
tem exerce, et ne quidquam facito per contumeliam*.
Recitat et refreicat legem *Levit.* xix, 18: « Non
quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium
tuorum. » Vide ibi dicta. Vetat ergo private in-
juriæ memoriam et ultionem, ne quis ei, qui se
læsit, irroget *θέρσῃς*, id est injuriam, contumeliam,
contemptum, insolentiam, eique insolenter et pe-
tulanter insultet, *q. d.* « Omnis injuriæ proximi
ne memineris, » id est, nullius injuriæ proximi ne
memineris, ita ut illam crebro rumines, alta men-
te reponas, irascaris, indigneris, eamque vindic-
care velis, et par pari reddere. Hebræis enim *תָּ*
omnis non idem est quod nullus vel nulla; nam,